

## LIBER PRIMUS.

## CAPUT I.

Jam primum omnium satis constat, Troia capta, in ceteros saevitum esse Troianos; duobus, Aenea Antenoreque, et vetusti jure hospitii, et quia pacis reddendaeque Helenae semper auctores fuerant, omne jus belli Achivos abstinuisse. Casibus deinde variis Antenorem cum multitudine Henetum, qui, seditione ex Paphlagonia pulsus, et sedes et ducem, rege Pylaemene ad Troiam amisso, quaerebant, venisse in intimum maris Adriatici sinum: Euganeisque, qui inter mare Alpesque incolebant, pulsus, Henetos Troianosque eas tenuisse terras: et in quem primum egressi sunt locum, Troia vocatur, pagoque inde Troiano nomen est: gens universa Veneti appellati. Aenean, ab simili clade domo profugum, sed ad majora rerum initia ducentibus fatiis, primo in Macedoniam venisse; inde in Siciliam quaerentem sedes delatum; ab Sicilia classe ad Laurentem agrum tenuisse: Troiae et huic loco nomen est. Ibi egressi Troiani, ut quibus ab immenso prope errore nihil, praeter arma et naves, superesset, quum praedam ex agris agerent, Latinus rex Aboriginesque, qui tum ea tenebant loca, ad arcendam vim advenarum armati ex urbe atque agris concurrunt. Duplex inde fama est. Alii praelio victum Latinum pacem cum Aenea, deinde affinitatem junxisse tradunt: alii, quum instructae acies constitissent, priusquam signa canerent, processisse Latinum inter primores, ducemque advenarum evocasse ad colloquium. Percunctatum deinde, qui mortales essent, unde, aut quo casu profecti domo, quidve quaerentes in agrum Laurentem exissent; postquam audierit, multitudinem Troianos esse, ducem Aenean, filium Anchisae et Veneris, cremata patria et domo profugos sedem condendaeque urbi locum quaerere: et nobilitatem admiratum